DE PERIOSTITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS ... MENSE FEBRUARII 1847 PUBLICÆ...

Francesco Introzzi



DE
PERIOSTITIDE

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DOMINI DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM E. E. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D. DOCTORE THEODORO HELM

Clinicae Medicae Therapiaeque Specialis Prof. O. Directore Nosocomii Universalis etc etc

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Februarii 1847

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

INTROZZI FRANCISCUS

MEDIOLANENSIS



TICINI REGII
EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.



Quaeritur quis omnibus prosit
Sit Philosophia res summa, ad paucos pertinet; sit eloquentia res admirabiles, non pluribus prodest, quam nocet, sola est Medicina, qua opus est omnibus.

Quintilianus Decl. 268.

Difficile est, ut, qui homo sit, non in multis peccet, quaedam videlicet penitus ignorando, quaedam vero male judicando, et quaedam tandem negligentius scriptis tradendo.

Galenus. De Compos. Medic. l. 11. c. 8.

CAROLO ET ROSAE INTROZZI

PARENTIBUS AMATISSIMIS OPTIMIS SUAVISSIMIS

HAS TENUES PRIMITIAS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREAM ASSEQUENS

DICAT CONSECRATQUE

OBSERVANTIAE GRATIQUE ANIMI

MONUMENTUM

Gratissimus Filius.

PRAELOQUIUM.

Perantiqua viget lex, quod, persoluto studiorum curriculo, quisque candidatus, ut Medicinae lauream consequi possit, aliquid sui in lucem edat.

Ut igitur huic muneri adimpleam, statui disserere de illa aegritudine, quae Periostitidis nomine insignitur.

Siquid, benevole lector, corrigendum invenies, mearum virium imparitati adscribas, dum experientia et observationibus careo; nam uti sapientissime monet celeberrimus *Zimmermann* » l' esperienza e le osservazioni sono la base dei nostri raziocinamenti ».

Vale.

PARS PRIMA

Periostitidis vocabulum a fonte graeco suam ducit originem, videlicet a vocibus περι (supra), οστεον (os) et consueta phlogosium desinentia ιτις, atque indicat periostii inflammationem.

Quamquam hujusce morbi cognitio usque ad syphilidis apparitionem adscendat, attamen ejusdem intima conditio pathologica solummodo postea quam Doctor Crampton eam descripsisset, innotuit.

Symptomata characteristica hujusce adfectionis oriri possunt non tantum a syphilide, verum quoque a scrofula, scorbuto, nec non ab usu immodico mercurii aliorumque medicaminum. Nonnunquam vero haec aegritudo a frigore inducitur, eo magis si malum suum influxum exercet post mercurialia sub

adversis circumstantiis adhibita, atque in hoc ultimo casu saepe confunditur cum syphilide. Facili negotio quoque confundi potest cum aliqua nevralgia aut acrimonia, potissimum quoties adficit caput in uno tantum latere, vel exacerbationes patitur ad horas plus minusve statutas, praesertim vespertinas. In ephemeridibus medicis nonnulli casus referuntur, in quibus pratici eximii suppeditarunt martia praeparata, ipsaque chinacea ad sanandos dolores, qui caput adgrediebantur ex uno tantum latere, et ab inflammatione periostii dolores proslliebant.

Quamquam periostitidis vocabulum phlogosim periustii solummodo exprimat, raro tamen observatur inflammationem circonscriptam esse ad hanc membranam, dum plerisque in casibus ossium textura quoque alterata animadvertitur; quin imo ipsa periostii phlogosis quandoque ab ossibus ipsis suppositis incipit.

Peculiaria hujusce membranae organisatio ita agit, ut speciali ratione modificentur symptomata, a quibus ipsa inflammatio concomitatur. Quamquam hoc involucrum fibrosum mediocriter exile sit, nihilominus est validissimum ac parum cedit: ex hoc evenit, quod saepe ob ejusdem distensionem dolores

acutissimi habeantur quamvis non adeo sit gravis inflammatio: interdum dolor lancinans ac scindens insurgit, quamquam externe fere nulla alteratio localis adpareat: e contra non raro mitissimus est, tametsi externe alterationes magni momenti conspiciuntur.

Satis ab experientia comprobatum est peculiarem decurrendi modum patefacere, videlicet haud raro periostitidem uno eodemque tempore vel successive adgredi partes ossium extremitatum sibi respondentes, aut latera quae ossibus congruunt positis juxta lineam medianam. Propter hanc causam si aegritudo sedem suam figit in aliquo puncto scapulae brachii aut ossium antibrachii, non raro observatur, quod symptomata eodem tempore vel paucis post diebus evolvuntur in scapula aut in ipso osse lateris oppositi: ita si adficitur clavicula unius lateris, paulo post in compassionem ducitur illa alterius. Periostitis adgredi quit cuncta ossa corporis humani, sed praediligit illa cranii, scapulam, sternum, femora, tibiam. Si evolvitur in sterno, cariem aliquando gignit hujusce ossis, quae postea exterae viam sibi pandit, opitulante plaga plus minusve sinuosa, atque sub cordis motubus et respiratione plorat ab ipsa pus aere commixtum, quod peculiari sono concomitatur.

Periostitis, quae sedem suam ponit circa articulos, saepe extenditur ad ipsos, inducendo periostitidem arthricam: tali ratione a tibia facili negotio procedit usque ad genu, vel ad cruris articulationem; atque ab humero vel scapula ad illam humeri: articulus sternalis claviculae sedem hujusce morbi praedilectam constituit; inter latera saepius corripit partem anteriorem prope sternum aut cartilaginem intercostalem, nonnunquam inducendo costarum cariem. Ubi vero sedem suam in osse habet phlogosis fere semper adficit partem medianam aut inferiorem, atque generatim in superficie anteriore ac interna. Alia proprietas hujus periostitidis formae sistit in difficultate eam leniendi, ex eo quod adhuc dum ignoratur methodus congrua ad compescendos dolores saepe acutissimos, quibus comitatur.

Inter formas magis notas, habito respectu ad dolorum acutiem, principem tenet locum periostitis capitis, quae in tres species sejungi potest. Prima facilius dignoscitur, quia partes adfectae semper praebent tumorem durum, dolentem tactui, a quo utpote a centro cephalea, quae nunquam deficit, diffundi videtur. — In altera specie dolor obtusus est, neque ad punctum aliquod cohercetur;

nihilominus haud deficit partis comatae tumiditas, quae morbi naturam detegit; imo quin occupet locum distinctum, inflammatio nonnunquam diffusa est ad cranii latus, ac itidem doloribus dirissimis consociatur. — Obscurior evadit diagnosis in tertia specie aegrotus ex. gr. conqueritur de capitis dolore adeo molesto, qui ab exordio intermittit, atque sub vespere exacerbationes patitur, prosternuntur vires, et cephalaea delassatus oculos praebet languentes, suffusos, lacrymisque conspersos; neque doloris sedem rite distinguere valet ex eo quod modo ad frontem modo ad capitis latus illum accusat: tactus nec non tumiditatem detegit, neque duritiem in aliquo puncto partis crinitae. — Aeger per aliquod tempus in hoc statu continuat, postea somnum amittere incipit, breviores ac minus manifestae fiunt remissiones, atque dolor semper increscit: de die tollerabilis est, sed vespere illum intensitatis gradum acquirit, ut omnem somnum auferat; neque emolumenti sunt generosiores opii doses, aliorumque narcoticorum, hirudines quoque et venae sectiones nonnisi leve ac fugax levamen producunt. Usque a primis visitationibus medicus putat, agi de aliqua cerebri adfectione et propterea methodo an-

tiphlogistica utitur, donec ejusdem inutilitas quoad diagnosim dubiosam reddat. Quin imo in aliquibus casibus hujusce speciei (in qua capitis integumenta omnem reformidant tactum, et dolor circumscriptus est ad unum tantum latus) evolvitur nonnunquam pthosis partialis unius palpebrae, quae in magnam inquietudinem medicum injicit, putans fere agi de aliqua adfectione capitis idiopathica. Pthosis vel procidentia palpebrae superioris symptoma constituit valde frequens in adfectionibus cerebralibus; proindeque in capitis congestionibus, in nonnullis febribus, atque in pluribus aliis morbis, utpote mali ominis habetur. In nostro casu adest proeul dubio paralysis speciea, sed haec simpliciter secundaria est, neque pendet a cerebro, potius a nervorum laesione: propter hanc causam hoc symptoma in genere parum notum haud magni momenti est in periostitide, de qua loquitur. — Ratio, qua hic morbus difficile dignoscitur atque os tactui raro sensibilitatem abnormem praebet, in eo sistit, quod sedem suam habet in superficie ossis in interna: ideo aliquod tempus requiritur ut se praebeat. Et revera elapsis octo vel decem diebus, in quibus frustra medicus conatur dolores compescere, sub tactu in regione

crinita invenitur punctus saliens, qui dolens est, et tunc morbus uti in praedictis speciebus adparens evadit

Periostitis cranii aliquando formam ebrenicam inducit, imo eodemque tempore magno cum discrimine adgrediendo laminam tam externam quam internam uti observare potuit Doctor Graves in puella convulsionibus obnoxia, quae capitis periostitide laborabat et agebatur de terebrae adplicatione imminente, cui sese opposuit, substituendo magno cum emolumento haud termea mercurialium doses.

In periostitide femoris valde difficile ab exordio evadit, tumiditatem dignoscere, a qua comitatur, habito respectu ad ossis altitudinem; propter hanc causam et potissimum ob positionem haec adfectio nonnunquam confunditur cum nevralgia, ischiade eto. Attamen tumiditas paulo post facile detegitur, ast interea aeger dirissimos dolores passus est, nec non diutinas vigilias: in cubiculis chirurgicis Nosocomii Majoris Mediolanensis non desunt exempla hujusce naturae.

PARS SECUNDA

Periostitis sejungi potest in duas species, videlicet in *diffusam* et *circumscriptam*. Prima ad forum chirurgicum pertinet et fere semper constituit symptoma secundarium antiquae adfectionis venereae, vel se prodit sub formis utpote functionis vicariae propter imperfectam aut deficientem menstruationem in foeminis. Altera, sive circonscripta ex eo quod plerumque nonnisi lævam plagam tenet, aliquando oritur per frigoris, adplicationem, ob violentias traumaticas, quae interdum non observantur ab aegro; sed plerisque in casibus pendet ab aliqua causa sic dicta specifica, uti mercurina, scrofula, chlorosis, scorbutus, amenorrhoea etc. Haec frequentior in praxi occurrit, atque plures varietates praebet. Interdum existit quia periostium ab osse subposito sejunctum fit, quo in casu propter phlogosim periostium incrassatur, dum os spongiosum fit et volumine augetur, sub hocce morbi decursu vehementer validior evadit compressio inter par-

tes, talique causa periostium valde incrassatur et progressu temporis tumorem constituit, qui sub tactu cum osse confundi potest. Sub hac morbi periodo pars tensa et dolens est, quin imo tumida, atque cutis decolor interdum observatur; nihilominus pedetentim symptomatum intensitas imminuitur; dolor decrescit, sat omnino non silet, periostium majorem crassitiem adipiscitur, et nonnunquam adspectum praebet textus fibrosi-cartilaginei: aliquibus in casibus si morbus congrua tractatur medela adhuc resolutionem admittit; sed in plerisque si periostium ad hoc statum pervenit, per totum vitae curriculum manet, vel in ipsam substantiam, osseam convertitur. Reapse peculiaris est decursus hujusce morbi: ossificatio incipit in sinu periostii inspissati, atque massam osseam circumscriptam praebet, quae in superficie ossis sub positi erigitur. Progressu temporis lamina externa ossis proprie talius absorbetur et massa ossea continua cum illo fit, in quo species orificii efformat. Quando hac affectione corripiuntur diversae partes ejusdem ossis, haud levis turpitudo exsurgit; quaeque earum constituit prominentias partiales et irregulares, quae ossium cavitates naturales implent, ita ut saepe ab-

quo tantummodo vestigia retineat primitivae conformationis: id quod animadvertitur praesertim in tibia individuorum lymphaticorum.

Alia forma periostitidis est illa, in qua videlicet periostium sejungitur a superficie ossis, et pariter non paucas praebet varietates. Nonnunquam intra nycthemerum, octo vel decem dies, in puncto quocumque ossis erigitur eminentia dolens pressioni, quae tactui duritiem praebet consistentis substantiae, sed diligenter contrectata aliqua elasticibus detegitur. In secunda periodo hujus varietatis tumiditas ac dolor padetentim evanescunt; fluidum, quod sub periostio effusum erat, absorbetur, et membrana primitivam adhaesionem cum osse recuperat: haec omnia modo citius, modo serius disparent. — Hujusmodi naturae sunt illi tumores, qui evolvuntur et evanescunt magna cum celeritate in cranio et alibi; tumores, qui sub sanguinis evacuationibus topicis et revellentibus citius solvuntur, et postea quam per nonnullas hebdomadas aut menses continuaverint, haud aliqua relinquunt vestigia praegressae existentiae. Haec varietas minime adsociatur cutis exulcerationi; attamen in aliquibus casibus liquidum extravasatum majorem sanguinis copiam ad superficiem ossis determi-

nat, atque temporis progressu viam sibi pandit externe, opitulante cutis exulceratione, ac natura dein granulationis ope sanationem peragit, quae incipit in superficie ossis vasculosa, connectitur con granulationibus periostii et integumentorum, quae pro parte substantiae jacturam reparant. — In alia varietate pus colligitur sub periostio, et superficies ossis respondentis huic puncto exfoliatur, entis in exulcerationem abit, et sanatio perficitur sicuti in casu praedicto.

Aliquando pars, in sequestro posita, minime una vice expellitur, sed perforata (probabilius absortionis ope) granulationes carnosae in forum introducuntur, et omnino eam destruunt. Hae sunt praecipue varietates periostitidis; habetur vero et alia, quae a scrofula inducitur, sed quum os una cum periostio semper adfectum sit, quisque videt, quod eam hoc nomine minime insigniri debeat.

Sicuti jam observatum fuit, periostitis nisi semper, saltem plerisque in casibus inducitur a quibusdam substantiis, quae a nonnullis dicuntur veneficae, uti essent hydrargyrosis, scrofula, syphilis, scorbutus. In cubiculis chirurgicis saepe opportunitas habetur discernendi symptomata pathognomonica for-

mae a scrofula pendentis. Generatim ipsa se praebet cum phaenomenis non adeo gravibus, et saepius in pueris occurrit, in quibus raro syphilis malum suum influxum exercet, vel mercurialis utuntur. Attamen quoties haec adfectio evolvitur in aetate magis provecta, difficile semper evadit statuere an pendeat a mercurio, vel potius a syphilide, scrofula aut alia nota vel possibili causa. — Si aeger periostitide laborans, mercurio usus est ad debellanda symptomata primitiva et secundaria syphilidis, et reconvalescit; si post octo vel quindecim dies aut etiam post mensem frigori atque humiditati se exponit, et periostitis uno eodemque tempore evolvitur in diversis punctis aut partibus simmetricis membranarum, tunc rite indolis mercurialis haberi potest. Casus adhuc difficilior ille est, in quo supponi potest, duas diversas causas insimul egisse: aliquando occurrunt individua senilia, quae saepe adfectionibus syphiliticis obnoxia fuere, et pluries mercurii praeparata adhibuerant, neque a longo tempore hydrargyrium in usum vocabatur. Refert Graves, quod in Nosocomio Dublini Loke arbitrabatur aegrum syphilide detentum in sanitatem abire quoties in die plures salivae libras expuebat!

PARS TERTIA

Exitus Periostitidis communiores sunt: *Denudatio ossis* vel *plaga*, *necrosis*, *caries*, *exostosis*, *spina ventosa*, *periostosis* vel *gumma*, *osteosarcoma*, *emollitio* atque *fragilitas*.

Denudatio ossis contingit quando suppuratio periostii exuendo os partium mollium illud obducentium, ejusdem externam superficiem spoliat.

Necrosis, vel mora veterum· hisce temporibus hoc vocabulum significationem habet minus extensam quam antea, et eo utimur solummodo ad denotandam mortem partis ossium magis compactae, uti esset diaphisis femoris, tibiae, humeri, etc.; raro ossa complanata adgreditur, excepta parte petrosa ossis temporalis.

Caries e contra est mors illorum ossium, in quibus praevalet substantia diploica, uti in ossibus planis et irregularibus. Hic exitus in ossibus cylindricis coarcetur solummodo ad capita articularia.

Exostosis constituit tumorem osseum, plus

minusve extensum, qui in una tantum parte, vel in toto osse evolvitur.

Spina ventosa, vel adfectionem propriam ossium cylindricorum efformat, in quibus parietes canalis medullaris lentam subeunt et successivam distensionem; aliquando enormem, eodemque tempore ipsae quam maxime attenuantur, ac perterebrantur pluribus in locis, eorumque textus videtur rarefactionem peculiarem subire; adfectio, cujus sedes probabilius sistit cavus medullaris ossis ipsius.

Periostosis vel gumma hoc nomen retulit ab analogia, quam ostendit cum humore a quibusdam arboribus plurante, in aqua facile solubilis. Hic exitus ab aliquibus auctoribus cum exostosi fuit confusus. Hujusmodi adfectio consistit in obstructione, quae in sinu textus proprii periosti, evolvitur ac committatur ab alteratione speciali hujus membranae, et nonnunquam a morte laminae superficialis ossis ipsius. Periostosis ut plurimum evolvitur in ossibus planis, in parte magis compacta ossium oblungorum, nec non in involucro dictorum, quae minus a partibus mollibus defenduntur, uti in regione capitis crinita, et potissimum in fronte, ad partem temporum anteriorem, ad superficiem

anteriorem sterni, in regione externa radii, in interna cubiti, ad tibiam.

Osteosarcoma sistit in ejusmodi alteratione textus, ut postea quam majorem vel minorem passus fit distensionem, substantia ossea degeneret, ac in textum noveae formationis convertatur, plus minusve illi caneri adfinem, dum symptomata localia et generalia majorem similitudinem cum illis posthemae adfectionis praebent.

Emollitio rariorem Periostitidis exitum constituit. Tunc os facili negotio incurvatur, nec non flectitur propter ablatum aequipondium inter elementa illud constituentia, videlicet propter defectum phosphatis calcis et relativam gelatinae exuberantiam, morbus facilis in infantia.

Fragilitas vitium antecedenti oppositum, se praebet cum imminuta ossis elasticitate ita ut sub minimo nisu rumpantur. Haec aegritudo, quae saepissime vexat senus syphilide labefactatus, suam noscit causam in adaucta copia substantiae calcareae cum gelatinae defectu.

THERAPIA.

Cura Periostitidis post causarum ablationem aut imminutionem esse debet generalis et localis.

Topice, si morbus recens est et phlogosis circumscripta magnas utilitates praestant sanguinis evacuationes locales, cataplasmata emollientia et anodina, ut tali pacto praedisponatur systema ad specificorum effectus magis sentiendos. Nonnulli suadent quoque adplicationem unguenti sabinae, vesicantium, synapismatum, et frictionum cum tartaro stibiato etc. Sed, uti sapientissime monet Boyer, si haec auxilia aliquibus in casibus tamquam solventia ac revellentia utilitatem praestant, saepissime vero periculo non destituuntur, propter inflammationem quae evolvi potest: qua de re, uti unicuique patet, morbum prevenire aut profligare auxiliis tutioribus conari debemus. — Loco adfecto ideo quotidie admovere oportet linimentum compositum ex partibus aequalibus axungiae suillae, saponis medicinalis vel alias substantiae pinguis cum totidem mercurii metallici, vel si indicatur cum pauxillo etiam hydrocloratis Ammoniae, ut promoveatur ab-

sortio. Ad validiorem addendam ejusdem actionem, nonnulli proponunt connubium unguenti cinerei cum jodio puro vel hydrojodate potassae. Sequentes formulae in usum vocari possunt:

Formula simplex.

℞. Linimenti mercurialis *drach. duas.*
D. S. usui externo pro *sex* frictionibus.

Forma composita.

℞. Unguenti neapolitani *drachmas tres.*
Hydrojodatis lixiviae *scrupulum*
m. fiat l. art. unguentum.
D. S. usui externo pro *octo* frictionibus.

Quoties aestivo tempore haec medicamina suppeditare volumus, circumspectio haberi debet, aequavis vioe ad parvam dosim praescribere, quia maxima cum facilitate solvuntur aut decomponuntur.

Etiam proto-joduretum mercurii et deutojoduretum hoc sub intuitu magno cum emolumento usurpata fuere. Aequiparando illorum agendi rationem cum illa unguento cinereo, duas praebent utilitates; primitus nonnisi maxima cum difficultate ptialismum excitant, et in ejus viee promovent impetiginis speciem valde prurientem, cui facile obviam

ire possumus cum diaphoreticis interne adhibitis, balneisque solventibus pro usu externo: alia utilitas consistit in majori efficacia, nam caeteris paribus sufficit dosis valde minor jodureti mercurii, quam unguenti neapolitani requireretur ad ejusdem effectum obtinendum. En aliquae formulae:

℞. Proto-jodureti hydrargyri *drachmam*
Hydrochloratis ammoniae *grana decem*
Axungiae suillae depuratae *drachmam.*
m. f. l. s. linimentum.
D. S. fit pro usu externo ad quantitatem nucis avellaneae pro singula frictione.

℞. Bijoduret. hydrargyri *scrupul. duos*
Muriat. ammonii depurati *grana viginti.*
Axungiae suillae *drachmam.*
m. f. l. art. linimentum pro usu externo.

Sicuti nonnunquam pars periostitide detenta nullum medicamen locale ferre valet, quin signa tuta minitantis aut incipientis inflammationis praebeat; et quum immundities, ab unguentorum adplicatione necessario enata, aliquibus intollerabilis evadat: its alii suteponunt frictionem circumscriptam ad plantam pedis, cui pediluvium

calidum praemittitur, cum unguento ab Hufeland commendato, quod ita conficitur:

℞. Bichlorureti hydrargyri
Chlorureti ammonii depur. *ana drachmam.*
Axungiae suillae *unciam.*
m. f. l. a. unguentum.
D. S. pro usu externo, et instituantur duodecim frictiones ad pedum plantas.

Quoad curam periostitidis generalem, ut retineantur progressus hujusce teterrimi mali, si nulla habetur controindicatio, et tantum feruntur, deveniendum erit ad praeparata hydrargyri efficaciora, uti ex. gr. ad Bijoduretum mercurii. Quoties vero aeger praesertim nocturno tempore doloribus osteocopicis vexatur, ad cyanuretum mercurii confugiendum erit. Ut haec duo postrema praeparata magis ferri possit, utile evadit illis adsociare aliqua opii grana, vel melius salia morphinae, uti in sequentibus formulis:

℞. Deuto-jodureti hydrargyri *grana tria.*
Opii thebaici *grana duo.*
Extracti gentianae q. s. ut fiat l. a. massa pilularis dividenda in partes aequales N. *viginti.*
D. S. sumat aeger unam omni mane.

℞ Mercurii sublimati corosivi
Sulfatis morphinae *ana granum.*
Extracti trifolii fibrini q. s. ut fiant pilulae N. *octo.*
D. S. sumat unam omni mane.

℞ Cyanureti hydrargyri.
Hydrochloratis morphinae *ana granum.*
Roob sambuci q. s. ut fiat l. a. pilula dividenda in partes aequales *sex decim.*
D. S. sumat unam vespere.

Si autem infungerat pyrosis, aegro praeberi potest aliquis potus emulcens et gratus. Ubi vero invitu narcoticorum adsociatione praedictae pilulae sensum ponderis inducam, eadem praeparata suppeditari queunt sub alis forma ex. gr. ea solvendo in infusione capilli veneris vel alio potu grato, et tali modo obducitur eorum sapor ingratus vel corrigitur.

Si periostitis cum arthritide complicatur, praemissa sanguinis evacuationibus generalibus, magno cum emolumento usurpata fuerunt praeparata colchici vernalis, et inter hoc nonnulli praedilligunt syrupum, dum alii, extractum, tincturam ejusdem colchici. Neque hic locus est fusius disserere, an melius ducat unum vel alterum exhibere prae-

paratum; solummodo monere liceat, quod fere indifferens est devenire ad unum potius quam ad alium ex praedictis praeparatis, dummodo rite perpendatur eorum efficacia; habito respectu ad individualem aegri receptivitatem; excepta vero tinctura colchici, quia praeter suam incertam actionem quoque periculosa est ob alcoholis praesentiam, quae nimis ejusdem actionem incitantem exaltat. Et ego ipse nuper casum vidi, in quo graves molestiae villico robustiori insurrexerunt, cui prima vice suppeditatae fuerunt *duae* colchici vernalis *drachmae* in minus duodecim horarum sumendae!

Si hydrargyrosis symptomata in scenam prodirent, tunc opportet saltem pro tempore mercurialium usum suspendere, et substituitur aliquod purgans sed mite, una cum decoctis diaphoreticis, donec circumstantiae sinunt, ut rursus cura suscepta continuatur; progressu temporis etiam haec praetermittenda est, ut incipiatur sic dicta cura secundaria vel sanguinis depuratoria. Haec consistit in corrigenda, per quanto possibile est, sanguinis crasi, labefactata a medicaminibus, supradictis: incboatur proinde cum decoctis stipitum dulcamarae et bardanae additur postea parva copia guajaci. — Sed aptior cura se-

cundaria est illa, quae peragitur cum salsaparilla, forma pulveris, saltem si ab aegro fertur, vel forma decocti, addito acido nitrico diluto, quod intendit procul dubio actionem salsaparillae, quin agnoscatur agendi ratio.

THESES DEFENDENDAE

1. Mammam infantibus nimis frequenter porrigere damnosum.
2. Clima nimis ardens magis quam frigidum hominibus nocens.
3. Plastici processus morbi aestivo praesertim tempore insaevire debent.
4. Arsenici usum ad febres intermittentes devincendas medici nimis pavent.
5. Emetica in alienationum mentalium cura suadenda
6. Principia regni inorganici, quae in vegetabilibus reperiuntur, ipsorum functionibus necessaria omnino evadunt.
7. Additio aceti in praeparatione sinapismatum interdum nocet.
8. Carbo animalis, venenorum vegetabilium optimum antidotum constituere.

